

Plantae 5—7 decim. altae folia caulina inferiora 3 decim. et ultra longa sunt; foliorum caulinarum superiorum longitudo inter 0,5 et 1,5 decim. variat. Folia 1,5—3 centim. lata sunt; bractee fere aequilatae 2—7 centim. longae sunt. Capitula cum flosculis exsertis longitudine saepius 4—5 centim. diametro basi 12 millim. attingunt. Achaenia matura 2,8—3 centim. longa sunt; pappus 2,5 centim. vix excedit.

S. bracteosa capitulorum magnitudine et structura proxime affinis est *S. macrospermae* Turcz., sed ab illa et ab omnibus Euscorzoneris capitulis bracteatis distinctissima.

10. *Barkhausia glandulifera* C. Winkl.

B. annua glanduloso-hispida, caule ab ima basi fere corymbosoramoso vel rarius simplici; foliis parce hirsutis inferioribus oblongo-lanceolatis in petiolum brevem attenuatis margine repandis vel obscure et irregulariter denticulatis, denticulis corneis apice obtusiusculis; foliis superioribus et summis ovato-lanceolatis sessilibus caulem amplectentibus auriculatis, auriculis saepius mucronatis, mucrone corneo, apice manifeste mucronatis, mucrone summo apice corneo, margine subintegris denticulis rarioribus; pedunculis virgineis nutantibus; capitulis hemisphaericis mediocribus; involucri phyllis exterioribus c. 12 minimis subulatis herbaceis dorso dense glandulosis, interioribus exteriora 3—4-plo superantibus carinato-navicularibus crassis dorso dense glandulosis margine membranaceis ciliolatis; receptaculo plano scrobiculato, scrobiculorum saltem mediorum margine hac atque illac pilosis, pilis subsolitariis brevissimis; flosculis flavis involucri phylla excedentibus; styli ramis tenuissimis; achaeniis marginalibus phyllis involutis lateraliter compressis incurvis ad apicem et ad basin versus vix attenuatis pilosiusculis dorso manifeste striatis quam pappus sesquilogioribus; achaeniis disci manifeste utrinque angustatis, apice in rostrum achaenium subaequantem vel quam illud triplo brevius attenuatis 10—12-striatis, striis subtiliter muricato-serratis;

achaeniis rostratis quam pappus duplo vel ultra longioribus; pappi setis mollibus albis.

Habitat in planitie Kiik-dene inter montes Gasi-Mailik et montes Jawan sita altitudine 2500'. Majo mense anni 1883 cl. Dr. A. Regel speciem novam detexit.

Plantae 1—2,5 decim. altae folia inferiora 7—8 centim. attingunt; folia superiora sensim decrescunt summa vix 2 centim. longa vel breviora sunt, foliorum latitudo inter 7 millim. et 2 centim. variat. Involuceri phylla exteriora 2—3 millim., interiora 8—12 millim. longa sunt. Achaenia disci cum rostro c. 9, radii c. 6 millim. longa sunt; pappus 4 millim. vix excedit.

B. Bureniana (Boiss. sub *Crepide*), quae plantae nostrae proxime affinis est, glandulis nullis foliis pinnatifidis vel runcinatis tomentoso canis, involuceri phyllis exterioribus paucis satis distat.
